



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quare sex gradus computantur. De dispensatione Gregorij habita ad  
Anglos. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



vero, qui septē gradus ponunt, trūcum inter gradus cōputant. Varie nanq; cōputantur gradus cōsanguinitatis. Alii n. patrem in primo gradu, filios in secundo ponūt: Alii primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem & filium esse, cum vna caro sint pater & filius. Auctoritates ergo, quæ cōsanguinitatis cautelam vsq; in septimum gradum prohibent, patre ponūt in primo gradu. Illi vero, qui vsq; ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant. Atq; ita fit, vt eadē personę secundum hanc diuersitatē inueniantur, in sexto, & septimo gradu. Patre vero in primo gradu ponit, qui fratres dicit esse secundū gradum. Hoc modo cōputat Zacharias papa, inquit, Parētelæ gradus taliter computamus. Ego & frater meus vna generatio sumus, primumq; gradum efficiamus. Rursus, filius meus, & fratris mei filius secunda generatio sunt, & secundum gradū faciūt: atq; ad hunc modū ceteræ successiones. Inter illos vero, qui sex cōputāt gradus, & illos qui septē computant gradus, nulla in sensu existit diuersitas, quamuis in numero gradū varietas videatur. Vltima enim generatio si à fratribus sumat initium numerādi, septima inuenitur.

*Ibidem cap.  
Parentels.*

*Isid. lib. 9.  
etym. c. 6.*

*Quare sex gradus computantur.*  
Quare vero sex cōputet Isidorus, ipse aperit dicens, Consanguinitas dum se paulatim propagat ordinibus dirimens vsque ad vltimum gradum protraxerit, & propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonii vinculum eam recipiet, & quodammodo incipiet reuocare fugientem. Ideo autem vsq; ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur. Ita propinquitas generis tot gradib; terminetur. In his sex gradib; omnia propinquitatum nomina continētur, ultra quos nec affinitas inueniri, nec successio potest.



est amplius prorogari. Secundum alios, septem gradus ideo computatur, ita ut post septem gradus sponsus sponsæ iungatur: sicut post hanc vitam, quæ septem diebus agitur, ecclesia Christo iungetur. His autem occurrit illud, quod Gregor. Aug. Anglorum episcopo, à quo requisitus fuerat, quæ generatione debeant copulari, rescribit sic: Quædam lex Romana permittit, ut siue fratris vel sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimēto didicimus, ex tali coniugio sobolē non posse succrescere. Vnde necesse est, ut quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi cōiungatur. Sed post multum tēporis idem Greg. à Felice Messanæ Sicilia præside, requisitus utrum August. scripserit, ut Anglorū quarta generatione contracta matrimonia non soluerentur, inter cætera talē reddidit rationem: Quod scripsi August. Anglorum episcopo, ipsi etiam Anglorum genti, quæ nuper ad fidē venerat, nec à bono quod cæperat meruendo austeriora recederet, specialiter & non generaliter me agnoscas scripsisse. Nec ideo hæc eis scripsi, ut postquam in fide fuerint solidati, si infra propriā consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur: aut infra affinitatis lineam, id est, usque ad septimam generationem iungantur.

## DE GRADIBVS AFFINITATIS.

## DISTINCT. XLI. A

Nunc de affinitate videndum est: de qua Gregor. ait, Porro de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte vxoris, seu quæ ex parte viri ad vxorem pertinet, manifesta ratio est: quia si secundum diuinā sententiā ego & vxor mea sum⁹ vna caro, profecto mihi & illi mea suaq; parētela propinquitās vna efficitur. Quocirca ego & soror vxoris meæ, in vno & primo gradu erim⁹: filius vero eius, secūdo gradu erit à me: ne-

Greg. c. 6 ad  
interroga.  
Aug. episc.  
Anglo.

Greg. episc.  
31. li. 12. Felice  
episc. Mes.

Ibidem.

35. q. 5. cap.  
Porro de af-  
finitate.